

Latinské modlitby

(podľa www.knazi.sk)

Signum Crucis – Prežehnanie

In nōmine Patris et Filii et Spíritus Sancti. Amen.

Pater Noster – Otče náš

Pater noster, qui es in cælis: sanctificétur Nomen Tuum: advéniat Regnum Tuum: fiat volúntas Tua, sicut in cælo, et in terra. Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie, et dimítte nobis débita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris. Et ne nos indúcas in tentatióne; sed líbera nos a Malo.

Gloria Patri – Sláva Otcu

Glória Patri et Fílio et Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio, et nunc et semper et in sæcula sæculórum. Amen.

Ave, Maria – Zdravas, Mária

Ave, Maria, grátia plena, Dóminus tecum. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui, Iesus. Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc et in hora mortis nostræ.

Amen.

Symbolum Apostolicum – Apoštolské vyznanie viery

Credo in Deum Patrem omnipoténtem, Creatorem cæli et terræ, et in Iesum Christum, Filium Eius unicum, Dominum nostrum, qui concéptus est de Spíritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Póntio Piláto, crucifixus, mórtuus, et sepultus, descéndit ad íferos, tértia die resurréxit a mórtuis, ascéndit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipoténtis, inde venturus est iudicáre vivos et mórtuos. Et in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam cathólicam, sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, vitam ætérnam.
Amen.

Symbolum Nicænum Costantinopolitanum – Nicejsko-carihradské vyznanie viery

Credo in unum Deum, Patrem omnipoténtem, Factorem cæli et terræ, visibílum ómnium et invisibilium Et in unum Dóminum Iesum Christum, Filium Dei unigénitum et ex Patre natum ante ómnia sácula: Deum de Deo, Lumen de Lúmine, Deum verum de Deo vero, génitum, non factum, consubstantiálem Patri: per quem ómnia facta sunt; qui propter nos hómines et propter nostram salútem, descéndit de cælis, et incarnátus est de Spíritu Sancto ex Maria Vírgine et homo factus est, crucifixus étiam pro nobis sub Póntio Piláto, passus et sepultus est, et resurréxit tértia die secúndum Scriptúras, et ascéndit in cælum, sedet ad déxteram Patris, et íterum ventúrus est cum glória, iudicáre vivos et mórtuos, cuius regni non erit finis. Credo in Spíritum Sanctum, Dominum et vivificántem, qui ex Patre Filióque procédit, qui cum Patre et Fílio simul adorátur et conglorificátur, qui locútus est per prophétas. Et unam sanctam cathólicam et apostólicam Ecclésiam. Confíteor unum Baptísma in remissiónem peccatórum. Et exspécto resurrectióne mortuórum, et vitam ventúri sæculi. Amen.

Requiem Aeternam – Odpočinutie večné

Réquiem aetérnam dona eis, Dómine, et lux perpétua luceat eis. Requiéscant in pace. Amen.

Angelus Domini – Anjel Pána

Ángelus Dómini nuntiávit Mariæ. Et concépit de Spíritu Sancto. Ave, María...

Ecce ancílla Dómini. Fiat mihi secúndum verbum tuum. Ave, María...

Et Verbum caro factum est. Et habitávit in nobis. Ave, María...

Ora pro nobis, sancta Dei génetrix.

Ut digni efficiámur promissióibus Christi.

Orémus.

Grátiam tuam, quæsumus, Dómine, méntibus nostris infunde; ut qui, Ángelo nuntiánte, Christi Fílli tui incarnatióne cognóvimus, per passióne eius et crucem, ad resurrectiónis glóriam perducámur. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. Amen. Glória Patri...

Regina Cæli – Raduj sa, nebies Král'ovná

Regína cæli lætáre, allelúia.

Quia quem meruísti portáre, allelúia.

Resurréxit sicut dixit, allelúia.

Ora pro nobis Deum, allelúia.

Gaude et lætáre, Virgo María, allelúia.

Quia surréxit Dominus vere, allelúia.

Orémus.

Deus, qui per resurrectiōnem Filii tui Dómini nostri Iesu Christi mundum lætificáre dignátus es, præsta, quæsumus, ut per eius Genetrícem Virginem Maríam perpétuæ capiámus gáudia vitæ. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Salve, Regina – Zdravas, Král'ovná

Salve, Regína, Mater misericórdiæ, vita, dulcédo et spes nostra, salve. Ad te clamámus, éxsules filii Evæ. Ad te suspirámus geméntes et flentes in hac lacrimárum valle. Eia ergo, advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte. Et Iesum benedictum fructum ventris tui, nobis, post hoc exsílium, osténde. O clemens, o pia, o dulcis Virgo María!

Magnificat – Velebí moja duša Pána

Magníficat áнима mea Dóminum,

et exsultávit spíritus meus

in Deo salvatóre meo,

quia respéxit humilitátem

ancíllæ suæ.

Ecce enim ex hoc beátam

me dicent omnes generatiónes,

quia fecit mihi magna,

qui potens est,

et sanctum nomen eius,

et misericórdia eius in progénies

et progénies timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo,

dispérsit supérbos mente cordis sui;

depósuit poténtes de sede

et exaltávit húmiles.

Esuriéntes implévit bonis

et divites dimisit inanes.

Suscépit Ísrael púerum suum,

recordátus misericórdiæ,

sicut locútus est ad patres nostros,

Àbraham et sémini eius in sácula.

Glória Patri et Fílio et Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio, et nunc et semper,

et in sácula sæculórum.

Amen.